

*Prosopographia Imperii Romani saec. I. II. III.* Pars V: Fasciculus 2. Consilio et auctoritate Academiae Scientiarum Rei Publicae Democraticae Germanicae. Iteratis curis edidit *Leiva Petersen*. Walter de Gruyter & Co., Berolini 1983. VII, p. 121-329. DEM 108.

Prosopographiae partis V fasciculus 2 (M) multo serius editus est quam expectabatur; at haec dum scribo iam fasc. 3 (N, O) in manibus habemus, ita ut sperare liceat opus totum intra paucos annos absolutum iri; quamquam fatendum est priora prosopographiae volumina partim certe iam novis curis egere.

Quod ad fasciculum de quo nunc agitur attinet, sunt ad res pertinentia quaedam minoris plerumque momenti, quae reprehendi possint. Sed cum in universum de libro laude omnino digno agatur, de cuius utilitate nemo dubitare possit, ea praeterire mihi liceat (hoc tantum dico, "Max... Paulinum" n. 436 mihi videri esse Max[imum] Paulinum ex posteris P.P. Cluviorum Maximorum Paulinorum consulum a.143 (?). 152 et M. Munatium Sullam Cerialem n. 735 videri habuisse filium, consulem a.234, v. Arctos 17 [1983] 72-4). Dicenda enim sunt mihi pauca de sermone, qui nonnumquam parum Latinus esse, hic et illic a consuetudine sermonis Latini prorsus abhorrire videtur; quod valde displicet, quamquam Prosopographiae vitas non ut litteras Ciceronis legimus, scilicet ut linguae Latinae suavitate delectemur. Offendit e.g. vocis 'quoque' usus eo loco ubi 'etiam' expectaveris (e.g. n. 27 "conferas quoque titulum"; item n. 51. 56-7. 64. 73. 77. 89 e.q.s.). "Vix dubio" (pro *sine dubio* vel *vix dubium quin*) plane inauditum est (n. 190. 261. 527). Alia quaedam minus aut omnino non probanda: n. 117 ("ut nova sedes ... impetraret"); 142 ("in nomen et heres ... acceptus est"); 184 ("vix ... idem cum Fabio"); 190 ("viderit" pro *vidit*); 223 ("honoratur ab Athenis"); 239 ("omnes honores ... functus"); 256 ("in senatum acquisitus"); 294 ("praenomen Auli duxisse"); 315 ("et honor ... et pontificatus ... abiudicatur"); 369 ("quomodo ... convivia instruenda sunt ... persecutus est"); 681 ("sub Domitiano ... iam maior aetatis"). Quibusdam locis oratio ita est obscura, ut difficilius intellegatur (e.g. n. 175 sub finem; n. 261 "recusandum est" e.q.s.; n. 344).

*Olli Salomies*